



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Willibaldvs Ep. 7. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## S. WILLIBALDVS EP. 7. Julij.

**A** Nimæ cælo natæ cheu ! exilium amamus,  
 patris obliviscimur. At non ita WILLIBAL-  
 DVS è regîa Anglorum stirpe pulcherrimus floscu-  
 lus. Vix enim mundum seque aded circumspexit,  
 cum ilicò peregrinum agnovit, ideoque exire  
 hinc quàm ocyus, nec solus voluit, sed in lauda-  
 tissimi facinoris societatem Cunobaldum Fr. &  
 Walpurgam sororem, quin Richardum etiam  
 regem parentem excivit. *Si nescis, Pater, peregrini  
 hic etiam reges sumus. Quin igitur is quò SS. vi-  
 rorum per omnem orbem v. stigia, atque aded Chris-  
 sti te ducunt. Exi, ah! exi regno! nisi exis, scilicet  
 efferere.* Ergo purpura penulæ, sceptrum baculo,  
 corona galero cedit; atque ita digna Regibus An-  
 glis expeditio Romam, inde Hierosolymam adot-  
 natut. Ultimùm ut hanc etiam suæ peregrinatione  
 cruces comitarentur, in illo itinere patrem, in hoc  
 oculos amittit. Receptit tamen hos ad urbem fan-  
 ctam appulsus, viditque deinceps tam bene, ut ex-  
 cacatis tum à Gentilitiâ superstitione Germanis  
 dux à Gregorio Pont. datus fuerit, quem qui-  
 dem annis XXXVI. egregiè præstitit, & nobi-  
 lem hodie Episcopatum Eystetensem condidit.  
 Sed inter omnia ejus (quæ multa & immorta-  
 lia) facinora, illud princeps est, parentem è  
 regno secum ad DEVM abduxisse. Faut nunc  
 deliri senes, querantur ultimo ætatis admini-  
 culo orbari sese, ubi è mundo filius abit. Aben-  
 do VVILLIBALDVS, an non parenti scipio  
 fuit? *Ex Philippo Eystet.*

*Sæper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id  
 quod nonitū es, nam ubi tibi placuisti, ibi rema sista*  
 Semper

*Semper profice; noli in viâ remanere; noli retro redire; noli deviare.* S. August. serm. 5. de verb. Apost.

## S. PROCOPIVS M. 8. Iulij.

Saulum aut Saulo simillimum Neaniam vides: quippe à Diocleriano Alexandriam missus, quò Christianos illic excinderet, & ipse Christum obvium habuit, & quidem è cruce sibi loquentem. Multùm igitur se aberrasse animadvertens, aliam viam deinceps ingressus est, & fabricari sibi ex auro crucem fecit illi geminam, quam nuper viderat. Hæc signa vix intulit Agarenis, cum nobilem victoriam abstulit. Sed, quod mirere, victori bellum alterum, bellum crudele mater movit, quæ pietatem filij, quâ fractos pedibus aureos argenteosque DEOS pauperum manibus in spoliis iussit cedere, sub impietatis nomine ream egit. Sed victo omnibusque tormentis exercito patronus cum Cælitibus Christus adfuit, & sanguine jam suo pulchrum sacrâ undâ amplius lavit, & abhinc PROCOPIVM dixit. Atque hic ille PROCOPIVS est, qui unus contra omnes carnificum manipulos stetit, qui que prius quàm gladio cervicem ipse, sibi Tyrannum non unum subiecit. Qua in re iterum Paulo similem illum rectè dicemus; in illo etiam superiorem, quòd Christo moriturus filius matrem peperit. *Ex Metaphr.*

*Si invenni melius, quàm videre faciem DEI, illuc te preparis: va tali amor tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quàm est ille, à quo est omne pulchrû, quod te teneat, ne illum cogitare merearis.* S. August. in Psal. 43.